Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26089
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Ecce enim indicta quadragesima constricta hiemali ge
lu terra resoluit. et aquarum fluenta meatus suos glacie li
quefacta recipiunt. Sic quoque corpora nostra hoc eodem tem
pore contracta sceleribus peccata resoluunt. et uite nostre
purior cursus liquefacto rigore diaboli meatum suum pristi
num recognoscit. Terra in qua indicta quadragesima
asperitatem deponit hiemis. mea terra indicta quadrage
sima asperitatem reicit delictorum. Illa terra aratris scinditur
ut mundanis sit congrua frugibus. mea terra ieiuniis ex
aratur ut celestibus sit apta seminibus. Sicut enim reditum uberi
orem capit qui frequentius uexando exercet campum. ita et
maiorem gratiam percipit. qui exercet corporis sui campum
sepius ieiunando. Ecce enim abstinentie tempore herba sege
tum reuiuiscit in messem. surculus arboris conatus in
fruticem. palmes uinee pubescit in gemmam. et omnia de
inferioribus ad altiora se subrigunt. Ita eodemque tempore
hominum spes interim mortua reuiuiscit in posterum. fi
des perdita reparatur in gloriam. temporalis uita proficit in
eternam. et omne humanum genus ad celestia se subrigens ad
altiora consurgit. Modo ferrum gestans agricola sarmen
ta amputat uinearum. ita et nunc euangelium tractans episcopus sor
des amputat populorum. et isto quadragenario curriculo
uniuerse hoc agunt creature quatinus depositis superfluis
ornate uel compte in pascha procedant. Modo omnia
sunt in partu. ut tunc repperiantur in fructu. Tunc enim